

1778. Oct.

Q. B. V. D.



SUB AUSPICIS RECTORIS UNIVERSITATIS HUJUS MAGNIFICENTISSIMI

D O M I N I
DN. FRIDERICI AVGVSTI
PRINCIPIS REGII ET ELECTORATUS SAXON.
HÆREDIS ETC. ETC. ETC.

DE

SUFFUSIONE OCULORUM

PRAESIDE
DN. CHRISTIANO VATERO
PHIL. ET MED. D. EIUSDEMQUE PP. NEG NON PHYS.
PROV. SAX. ET ARCH. ANHALT.

DOMINO PRAECEPTORE

ET STUDIORUM SUORUM PROMOTORE

COLENDISSIMO

AD DIEM JANUAR. MDCCXV.

IN

AUDITORIO MEDICO

DISSERET
JOHANNES CHRISTOPHORUS HEYMANNUS
BUDISSA LUSATUS.

VITEMBERGAE PRELO FINCELIANO.



ET si quidem Anatomie corporis humani
brutorumque hodie longe perfectior ac
certior, quam prioribus temporibus ha-
beatur, adeo, ut nihil fere addi posse, quis
crediderit; tantum tamen abest, omnia jam
absoluta & detecta in ea esse, quin plurima ad-
huc, eaque scitu summe necessaria, invenien-
da, & ad usum practicum applicanda restent.
Patet id vel maxime oculorum exemplo, in
quorum structura & textura, plus quam miran-
da, tot adhuc subtilitates detegendæ & expli-
candæ inveniuntur, ut etiam oculatissimi Ana-
tomici circa easdem ignorantiam suam fateri
cogantur. Et hinc etiam fit, quod in explican-
dis, et multo magis curandis, ipsorum lœsionib-
us, mirum quantum in hunc diem dissentiant
Artis cultores: Eaque ratio erat, quare præci-
puam ex his oculorum lœsionibus, et multis
communem, ejusdemque causas & medelas,
pro ingenii tenuitate, exercitii loco, disquire-
re animum induxi. *Faxit DEUS feliciter.*

(4)

Thef. I.

Oculus humanus, quamvis exile admittit corporis organon, præ cæteris tamen ob mirabilem & tenerrimam partium omnium structuram, multiplicibus, iisque gravissimis & curatu difficultissimis morbis tentatur, ut mirum non sit, quare ipsorum cura, jam tum a Veteribus, peculiaribus tantum Medicis, quos ocularios vocabant, fuerit demandata; utpote, qui aliorum ægrorum querelis minus impediti, ipsorum curæ magis vacarent. Ex horum autem numero præcipius & frequentior omnino est Suffusio, ὑπάχυψα, vel ἡγετική. Græcis appellata, pupillæ nimirum obstructio, vel præclusio, cum visionis depravatione, tandemque abolitione, ab humoris aquæ, vel etiam crystallini inquisitione & crasfitie orta.

Thef. II.

Disceptant quidem speculatores, quo nomine hic affectus commodius designandus veniat, indeque alii potius barbaro nomine, cataractam vocare malunt, forte a καταράτη, qua lapsum quasi & decubitus humoris ad pupillam, indigitare volunt; quemadmodum alias aquæ in loca abrupta petrofa præcipitari solent cum impetu; aut etiam nubes conglomeratae rumpuntur, & in guttulas crassas densas ruunt: Verum præter quod non appareat, quomodo præceps omniodi lapis s. decubitus humorum in oculo fieri possit, aut si fieret, non tam hunc affectum, quam hypopion sic dictum, vel hydroptalmiam excitaret;

Ideo-

(5)

Ideoque placet cum Plinio & Celsō suffusionis nomen retinere. Quod si tanien diversos ipsius gradus, quos habet, diversis & specialibus nominibus, doctrinæ gratia indigitare quis velit, & quidem primum Suffusione in specie, alterum Nebulam, sive Guttam, & tertium Cataractam, quæ vox; Livio teste, etiam portam, vel valvam significat, eidem item non movebimus.

Thef. III.

Habet enim malum hoc suos quoque gradus: In principio siquidem nulla in oculo mutatio ab intuentibus facile dignosci potest, nisi quod ægri ipsi tantum de visionis debilitate & obscuratione quadam conquerantur. Quibusdam vero simulacra quadam modo plura, modo pauciora, volatilia vel fixa, adscendentia, descendenteria, vel in gyrum mota, & quidem instar filamentorum, pilorum, culicum aliaque ob oculos versantur. Alii scintillulas, vel stellulas splendentes, annulos, globulos aliaque vident. Sic rara suffusionis species erat, cuius Bartholinus c. IV. Obs. 21. de Marchionissa quadam Neapolitana meminit, quæ præter ophtalmiam, qua laborabat, objecta non nisi valde illuminata, inque iis simul splendentes scintillulas observabat per aliquot menses, a quo tamen malo per venæfessiones, vesicationes, aliaque remedia feliciter fuit liberata. Cujusmodi aliam etiam annotavit Rhodius c. III. Obs. 61. in viro, cui omnia perforata apparabant, & Mangett. Bibl. Pract. ex Responso Facult. Medic. Leidens. in viro, hoc affectu laborante, cui nihil, nisi lineæ rubicundæ & sanguineæ in spiras con-

A,

volutæ

yolutæ, observabantur. Crescente vero malo in & sub pupilla manifesta obscuritas, instar nebulae, vel guttae aquæ impuræ observatur, ægerque omnia objecta, etiam si maxime illustrata, quasi per nebulam, vel telam retiformem videt; Quo nomine etiam Nebula & Gutta in specie dicitur. Ubi insuper notatur, quod, quamdiu malum in hoc gradu perseverat, facta bulbi oculi affecti, una cum palpebris suis, compressione & frictione decenti, toties illa nebula quodammodo dispareat, & pupilla clarior reddatur, quoties ejusmodi compressio & frictio repetitur. Tandem, in aliis quidem citius, in aliis tardius, sub velamenti, s. membranæ forma pupillam suffundit, indeq; lucis ingressum plus minus intercipit, & ægro visionis beneficium proflus adimic: Ubi rursus observatur, quod membranula ita modo intra, modo profundius infra pupillam appareat, eidemque in aliis undique, vel ex parte tantum cohæreat, in aliis vero adhuc fluctuet, eaque rursus vel totius pupillæ foramen, vel tantum partem ejus occludat; quoad colorem de cætero modo alba, cinerea, glauca, flava, et quoad substantiam plus minus crassa, densa & opaca; quo respectu ad differentiam priorum specierum, Cataracta alba, cinerea, glauca Scriptoribus dicitur,

Thes. I V.

Quæ omnia, et si satis manifesta, & a tot seculis in oculis tam mortuorum, quam viventium observata fuerunt, tamen de vera origine & imprimis sede ipsius (speciali, ubinam scil, occludens hanc fenestrâm obstaculum, an præcise in humore aqueo, & quidem

quidem inter tunicam corneam & pupillam, vel inter hanc & humorem crystallinum; aut etiam in eodem vel vitro hæreat, Doctores adhuc inter se quam maxime dissentant. Veteres quidem unanimi fere consensu sedem totius mali in humorè tantum aqueo, & quidem non solum inter tunicam corneam & pupillam, sed etiam infra eam & humorem crystallinum designarunt, eamque multis observationibus & rationibus, ab antecedentibus, concomitantibus & consequentibus circumstantiis petitis, confirmarunt, uti apud Forestum, Platerum, Sennertum, Riverum, Bonettum Anatom. Pract: aliosque videre licet.

Thes. V.

Tamen doctrinam istam, dudum receptam & confirmatam, non ita pridem deseruerunt alii, imprimis in Gallia M. Brisseau Medicin. Major des Hopitaux du Roy, Traité de la Cataracte & du Glaucone & M. Antoine Maitre Jean a Troyes Traité des Maladies de l' Oeil, & cum his celeberrimus Dn. D. Heister in Tract. de Cataracta & Glaucomate; docentes, Suffusionem omnem sive cataractam nullatenus in humore aqueo, sed tantum crystallino existere, idque multis ibidem demonstrationibus & experimentis confirmarunt: Quibus etiam sententia ingeniosissimi A. Pitkarnii Leidenis favet, saltem quod fundamentis geometricis et opticis humorè non soliti aqueum, sed etiam crystallinum a Suffusione profus excludat. Ita enim in Theoria Morborum Oculi pag. m. 9. loquitur: Qui sedulo reputaverit, quantula debeant assumi ocularium humorum diametri, quaque

queque refractionum leges, ille prompte compertet; imagines rerum in oculo ante retinam sitarum, prorsus extra oculum projici, nunquam in retina depingi, adeoque nullatenus ipsum movere. Et paulo post ita concludit: Ergo nullorum in cornea, nem in aquo humore sitorum corporum contingit visus, sive corpora illic posita, aut natantia non percipientur ab oculo; Ex qua demonstratione sequitur 1. in suffusione oculi nulla observari corporum simulacra, qualia Medici Scriptores suffusioni adscribunt. 2. Si nullis Ophtalmiae externis signis infestantibus musca, aranea &c similia nunquam non obvoltare videntur, amaurosin potius oriri; 3. Si vero Ophtalmiae externae coniunguntur ista spectra, inesse etiam Ophtalmiam internam, & quidem in tunica retina sitam, & tandem universaliter spectra, ista &c species amauroseos retine, imagini suspicienda imparis vitio fieri.

Thes. VI

Neque sententia hæc prorsus nova est, siquidem ante L. jam annos idem docuit J. Rohaultius Tr. Phys. P. l. c. 35. observandum inquiens, suffusionem non esse maculam ante humorem crystallinum concretam, (sicut jam diu obtinuit opinio) sed ipsius humoris crystallini mutationem, qui aut penitus, aut saltem aliqua

aliqua sui parte factus est opacus; Itmo ipse Hippocrates jam suffusionem tub glaucomatis nomine, quod alias humoris crystallini crassitiem et opacitatem in specie denotat, indigitavit, et Galenus licet L. 10. de U. P. suffusionem inter humorem crystallinum et tunicam corneam locaverit, alibi L. 11. d. symptom. caus. c. 1. etiam humorem illum pro sede illius agnovit. Pariter celeberrimus quondam Medicus et Chirurgus Parisiensis, Franciscus Quarous, referente Rolfinio in observ. Anatom. suo tempore publice ibidem docuit, suffusionis & cataractæ in oculis causam non semper esse concretionem humoris aquei, aut tunicæ arachnoidis humoris crystallini, sed ipsius quoque humoris hujus opacitatem. Idemque Rolfinius post hinc in binis defunctorum oculis observasse se testatur. Quae cum ita sint, Doctissimus Plemipius L. V. Ophtalmographiæ suæ c. 9. litem ita composuit: In Galenico, inquiens, tribunali locum suffusionis definit in interiori facie cornea & exteriori crystallini. Nos autem non dubitamus afferere, in crystallino quoque, & post crystallinum in vitro humore consistere posse materiam suffusam; Species enim eaque transirent crystallinum & vitreum, quamquecum: Itaque, si earum transmissio a crassa & opaca quadam materia, in vitro contenta, prohibetur, oculus suffusione laborare dici debet, eodem jure, quam si in aquo humore latet materia: Ceterum id fatendum est, rarius tamen suffusam materi-

(10) ●
materiam in vitro et crystallino, frequentius in
aqueo observari.

Thef. VII.

Et certe humorem tantum crystallinum, excluso semper aquo, in hoc oculorum vitio laborare, non immerito dubitare faciunt tot contrariae observationes & autopsiae, non oculariorum tantum, sed Doctorum rerum harum peritissimorum, quorum tantum paucos huc allegasse sufficiet. Prae ceteris vero occurrit locus c. Hoffmanni, Comment. ad Galen. d. usus part. L.XCI, ubi meminit controversiae, quae suo iam tempore inter Medicos Patavinos, preceptores suos, de suffusionis sede intercessit, ad quam decidendam accitus fuit Nursinus quidam, qui in praesentia magnae studiosorum catervae, oculum ovillum, suffusione laborantem, per depositionem curavit, qua operatione peracta, malum eo prorsus loco repertum, ubi Galenus dixit: Idem confirmat F. Platerus L. V. Obs. c. 7. suamq; autopsiam interponit, cataractam, inquiens, ab aquo humore a causis externis, vel internis tenacitatem acquirere, & pupillam penitus occludere, non solum multis rationibus probare possum, sed etiam ex ipso sectione deprehendi. Pariter Rhodius Cent. I. Obs. 81. in Theatro anatomico Fr. Plazonii ductu, suffusionem inter corneam & uveam, humori crystallino oppositam, non in ipso crystallo, se vidisse, perhibet cuius materia dura & mediocriter crassa instar squamæ corneaæ fuit. Nec minus a muco vero, circa uveam sensim concrecentre, integro interim crystallino humore, suffusionem oriri, tum ex erutis & dissectis caprarum oculis, huic affectui obnoxiiis, tum quoque ex aliis in homini-

(11) ●
hominibus exemplis se didicisse, testatur M. Bayle: Chirurgus Genuensis Op. Physic. Med. d. hoc affectu. Et Mangettus annot. pract. p. m. 427. sancte afferit, quod ab illo tempore, quo depositioni cataractæ manuali incubuerit; (quam tamen pluries, & semper felicium successu exercuisse se, perhibet) nunquam fitam illam duritatem & soliditatem materiæ obstruentis, acu intrusa percepit; quod tamen omnino necessarium fuisse videtur, si in corpore ejusmodi solido, quale humor crystallinus est, malum semper haeret. Taceamus, deposita per manum chirurgicam cataracta, innumeris adhuc visum statum restitui, quod tamen, si malum semper in lente crystallina, vel humore vitro haereret, vix fieri posse, ex sequentibus magis patet.

Thef. VIII.

Esto enim, quod, ut Pitcarnius l. c. monuit, impuritates istæ & corpuscula heterogenea umbram, vel figuram suam ad retinam usque projicerent nequeant, rerum tamen visibilium imagines intercipiunt, ut vel plane non, vel minus distincte penetrent, eoque ipso visionem nihilominus confundunt & turbant. Non opus videtur, ut imagines & idola ista eandem magnitudinem, figuram & colorem cum moleculis istis, humoribus in natantibus, habeant; sufficit, quod pro diverso situ, motu & quiete, diversas tamen umbrulas in liquoribus istis pellucidis efficiant. Neque etiam in omni suffusione, ejusmodi imagines & idola apparere, experientia testatur. Præterea nondum satis demonstratum est, ubi alias, & quomodo ejusmodis spectra & magi-

magines, sive mobiles, sive fixæ efformentur, & depingantur? Ubinam tales, nisi in fluido, sursum deorsum & in gyrum tamdiu, tamque constanter ambulare quantum experientur, qui spectris hisce terrentur? Multo tis autem mecum plures alii in camera obscura Dni. D. Praesidis per sphæram vitream, aqua repletam, & radiis solis oppositam, innumeratas imagines, variæ figuræ & coloris, hinc inde volitantes, adscendentest & descendentes, in linteo expanso, etiam ad aliquot pedes distante, videmus, eoque plures, quo plura corpuscula in aqua ista continentur, & cum vitro agitantur.

Thes. I X.

De cætero mirum omnino videtur, quare in punctura & depositione crystalli non lædatur ejus tunica alias tenerima, vel fibræ ejus tenuissimæ, radiorum instar ex toto ambitu exeentes? immo cur non lædatur enormiter ipsius pupillæ contextus, ad cuius ambitum fibræ istæ terminantur, & crystallum in situ suo, perpendiculari & centrali conservant: Etsi enim humorem crystallinum ad visum, haud absolute necessarium, esse, jam dudum docuerit Celeb. Hugenius in sua Dioptr. Prop. 31. idque mediante oculo artificiali, eum in finem a se invento, demonstrare conatus fuerit; consensum tamen a paucis, intelligentibus, impetravit, eo quod machina ista, tantum quodammodo analogæ, sed innumeris modis imperfectior obseruetur oculo humano, vel etiam brutorum, in quo, uti in toto corpore, nihil superuacaneum, nihilque nisi optimum & perfectissimum a Conditore sapien-

sapientissimo creatum fuisse, nemo inficias iverit. Accedit quod exempla ægrorum non æque obvia sint, quibus humor crystallinus in depositione cataractæ, e fede sua, infra humorem vitreum, salva & integra visione, depresso fuerit, indeque plenam fidem nondum inveniunt, donec pluribus aliis observationibus confirmabuntur: Et licet etiam experimenta quædam successerint, inde tamen nondum inferri posse videtur, humorem aqueum in hoc oculorum vitio semper immunitum, crystallinum vero unice et solum accusandum esse; id quod etiam caussarum series; ulteriorius & clarius nunc docebit.

Thes. X.

Humor enim aquætis, et si præ ceteris quidem tenuissimus, purissimus & maxime diaphanus, propterea tamen non elementaris et simplicissimæ naturæ est, sed partibus suis heterogeniis, optimè quidem digestis, & cum aquosis intime permixtis constat; unde etiam fit, quod ex animalibus desuntus, & evaporatus, vel destillatus, partes viscidæ, crassæ, infundo relinquat; afferavatus vero mucescat et foetorem contrahat. Nutritur sane et restauratur, æque ac aliæ partes viventes, eumque in finem sua haber vasa, nutrimentum advehentia et revehentia, citra quæ uti omnes aliæ, neque nutriti, neque vivere posset. Præter arterias quippe et venas, intra tunicam oculi adnatam spectabiles, a carotidis ramo externo affigentes, et alias internas, ab eiusdem ramo interno profectas, nervum opticum usque intunicam retinam comitantes, insuper tres peculiare ramuli, lympido et levi rubore turgidi, quos

proinde eorum inventor Nukijs primum a quosque appellavit, itidem ab interno carotidis ramo orti, sclerotidis tunicae superficiem perreptant, et corneam, non procul a pupilla, perforant; immo, postquam corneam perforarunt, ulterius pergunt, et expansis multis ramulis, in uvae partem anticanam, iridisque fibras terminantur: Nullo certe alio fine, quam ut huic in specie humoris sua quoque nutritio augmentatio et restitutio concedatur. Ideo cum aetate crescit, ut aliae partes, et quoque imminuitur, ac obscuratur, ut in senibus non raro observatur: Immo, lœsa, per injurias externas, tunica cornea, effusus plane et deperditus, intra exiguum temporis spatium sua sponte saepe renascitur, quod etiam Galenus iam tum in pueris, cui pervulnerationem cornea omnis humor aqueus effluxerat, observavit,

Thes. XI.

Quod si igitur contingat, vasa ista circulantia ab iniuriis externis, aut etiam humorum vitio interno ita laedi, ut nutrimentum minus purum ad oculum deferant, vel ipse humor, ex denegata undecunque nutritione debita, vitium et opacitatem contrahat, eo ipso certe transitum lucis et imaginum lucidorum plus minus impedit: quod si etiam partes istae impure mucosæ, viscæ magis accumulentur, non video, quare tales sibi invicem, & partibus vicinis, imprimis fibris ciliaribus non cohærere & sic successive velamentum, vel pelliculam constituere queant; quemadmodum alias in ejusmodi liquoribus, etiam aquis destillatis, toto die videmus.

Thes. XII.

Thes. XII.

Eadem autem ratione omnino fieri potest, ut humor crystallinus, per naturam itidem purissimus, & instar crystalli maxime diaphanus, adeo, ut aquam purissimam pelluciditate superet, eidemque immensus penitus dispareat, tamen ob soliditatem suam, & lamellas multiplices, e quibus componitur, ejusmodi opacitatem contrahat, & sic collectionem, transitumque imaginum impedit: Immo interdum ita inspissari & exsiccati observatur, ut in rimas plane findatur, de quo exempla apud Bonet. in Sepulchreto videre licet: quemadmodum etiam humorum vitreum varie inquinari, modo augeri, modo imminui, colligunt scire, vel nimirum inspissari, exempla docent. Non minus enim arteriolarum miriades, per tunicam cho-roidem & Ruyfchianam novam disseminatae, ex oculi fundo, & medulla nervi emergentes, tunicam retinam comitantur, tandemque nutritionis gratia, intra tunicas humoris vitrei & crystallini terminantur; a quo rum lassione non nisi ejusmodi mala oriri necesse est.

Thes. XIII.

Sed aliud adhuc generationis cataractæ modum ex cogitavit Jos. d. I. Chariere, & Tract. de operationibus chirurg. demonstrare conatur, malum istud neque ab inspisatione aquæ, neque crystallini humoris, sed solum a pellicula, vel lamella huius secedente, et in humore aquo fluctuante oriri: idque hac ratione probauit, quod a sola visciditate particularum membrana talis generari nequeat; humor vero crystallinus

alias, secundum Lœvenhoickii observationes, ex meris lamellis, vel squamulis, veluti in cæpis, se invicem ambientibus, componatur, quarum extrinseca, oblationem oculi graviorem, facile sedecere posse: Indeque fieri, quod illi, quibus cataracta acu deprimitur, raro obiecta tam destinata, ac alii, videre queant. Verum enim vero nondum demonstravit, qua ratione tunicae, alias totam peripheriam humoris ambientis, pars tantum anterior, vel superior separetur, & quorsum pars inferior, quæ vitro tam arcte iungitur, secedat; quomodo haec separatores fieri queant, saluis nihilo minus lenti crystallinae figura, diaphaneitate, situ et connexione cum reliquis; Ita sane humor iste comparatus esse debebat, ut radii tantum non infinit, in indivisibile hoc punctum colligi, et in exiguae imagines corahi possent; quod vero impossibile erit, quando in aliam figuram aliquamque situm detorquetur, vel solum superficie suæ polituram et qualitatem quoconque modo amittit.

Thes. XIV.

Sed videndæ nunc quoque sunt causæ proximiores, a quibus eiusmodi depravatio humoris, sive aquei, sive crystallini, successive, vel subito oriri solet. Tales autem observantur nimis multæ, imprimis injuriæ externæ, ictus fortuiti, contusiones, impetus fulminis et pulveris pyrii accensi, vel aliis flammæ, aquæ item ferventis et similium; quando scil. ab eiusmodi injuriis vascula illa tenerima humorum graviter percelluntur et distorquentur, ut nutrimentum debitum amplius afferre nequeant: ve letiam nimum dilatantur, aut plane rumpuntur, ut nutrimentum minus

nus purum, sed crudum, crassum, viscidum effundant, & sic multipli ratione malo huic occasionem suppeditent.

Thes. XV.

Huc etiam pertinent inflammations oculorum, undecunque excitatae, ubi e fero & sanguine, lege circulationis affluente, nec tamen debito modo refluente, necessario oscula vasorum istorum circulantium vel nimium extenduntur & aperiuntur, immo rumpuntur, ut impuritates excidant; vel etiam exsiccantur, crispantur & corrugantur, humorumque ipsorum partes tenuiores absuntur, unde opacitas sequatur necesse est. Ideo ophthalmia & lyppitudine graviori diutius afflicti saepissime pterygion, vel suffusionem contrahunt. Non minus ex hæmorrhagiis narium frequentioribus, aut iisdem intempestive cohibitis aliquos in hoc malum incidisse novimus. A mærore vero & ploratu nimio, unica noæte in foemina ortum, annotavit Horstius Centur. IV. Obs. XV. Multi a febribus ardenteribus, ali ab abuso collyriorum calidorum contraxerunt, uti notartunt Camerarius c. XI. Part. 46. Wedelius Amoenit. Mat. M. & alii.

Thes. XVI.

Neque hic excludi potest intemperies sanguinis nimis humida, frigida, viscosa, scorbutica, quippe quæ non nisi idem nutrimentum oculis afferre potest, præcipue si aliqua tantum injuria extrinseca intervenierit. Et exinde quoque fit, quod cachectici, scorbutici, & lue venerea affecti, non raro hoc malo tententur. Ita ab ulceribus pedum aliarumque partium intemperie occlusis affectum hunc oriri, videri potest apud

Timaeum L. I. Observ. 28. Heurn. M. M. I. I. & Wedel. in Ephem. G. D. 2. An. III. Obs. 183. Eo, quod serum istud vitiosum retentum, deinceps cum sanguine rursus in circulum abeat, et, data occasione quacunque, ad oculos, tanquam partes teneriores decumbat, & tristem hunc effectum inducat: Panarolus vero Pentecost. II. Obs. 6. præ cæteris duas potissimum causas notat: *suffusionem saepe ortam*, inquiens, *vidimus a duabus bisce causis, aliquando coniunctis, aliquando etiam separatis; frequenti nimirum aqua potu. & Venere immodica; ideoque, ut omnes fibi ab his caueant impostorum, presentem observationem in lucem dedi.*

Thes. XVII.

In specie vero accusandi hic sunt motus convulsivi, quibus sanguis & reliqui succi in motus maxime irregulares concitantur, partes imprimis teneriores & sensibiles simul convelluntur, modo contrahuntur, modo extenduntur, distorquentur, ut mirum non sit, quod oculi simul patiantur, eorundemque humores inquinentur: Eaque ratio est, quare ab Epilepsia non solum, sed vomitibus quoque violentis, passione Iliaca, sternutatione frequenti & similibus, toties suffusio orta legatur apud Practicos, uti videre est ap. F. Hildan, C. 2. Obs. 240. Smet. Miscell. p. m. 546. Sennertum & alios.

Thes. XVIII.

Interdum etiam solius ætatis vitio fit, non solum in senibus; ob defectum seri dulcis spirituosi, ad nutri-

tritionem oculorum maxime necessarii; sed etiam in pueris tenerioribus, in quibus humores alias magis aquosí, viscidi & nondum satis digesti. Exinde Camerarius Cent. XI. Part. 46. hoc vitium, recens natos secum in lucem attulisse, aut mox illis supervenisse perhibet. Cujusmodi exempla etiam Hildan. in Ep. ad Horstium, ipseq; Horstius Part. II. Obs. f. 633. Dolæus Chirurg. L. I. c. Encyclop. Borell. c. III. obsrv. 61. & alii referunt. Immo per errorem formationis, à phantasia matris turbata, suffusionem oriri posse, restatur Cataracta, vi imaginationis matris, puero in utero communicata, apud Horst. P. II. fol. 633.

Thes. XIX.

Quo etiam pertinet situs oculorum extra canthum præter naturam eminentior, per formationem, vel aliunde ortus, utpote quo vasa ipsorum non solum nimium extensa, sed oculi ipsi, injuriis aeris magis expositi, eo facilius offenduntur, uti jam Forestus L. 12. obs. 32. & Sennertus de hoc affectu annotarunt.

Thes. XX.

E quibus adeo omnibus appetet, multas admodum & diversas suffusionum species dari, non solum ratione sedis præcipuae, qua alia in humore aqueo, alia crystallino, vel utroque existit; & quidem modo in ipsa pupilla, modo infra eam: quarum rursus alia pupillæ cohæret, alia minus, & sola accurata inspectione, nec non frictione oculi, cum palpebris suis discerni possunt; Sed etiam ratione cauſarum tam diversarum, graduum, & complicationum, modo incipiens tantum & imperfecta, vel immatura, vel magis aucta, & perfecta; totam pupillam, vel solum partem ejus oc-

cludens, tenuior vel crassior, magis vel minus opaca, æqualis vel inæqualis, fixa vel mobilis; & tandem quoad colorēm alba vel cinerea, glauca, plumbea, lutea &c. item simplex velcum aliis oculorum morbis complicata observatur: Sic datur etiam suffusio ipuria, & per consensum talis, tibi humores oculi per se nondum inquinati, sed aliquide tantum per vices, a motu succorum aliorum peregrino, turbantur, uti Ebriis, Vertigiosis, Epilepticis, Hystericis, Syncopticis & similibus contingit; ex eo tamen facile diagnoscitur, quod communiter utrumque oculum simul occupet, & per intervalla rursus in totum remittat.

Thef. XXI.

Atque pro cauissarum istarum, subjectorum & graduum diversitate, nec non complicatione aliorum saepe affectuum, deinceps omnis prognosis de eventu mali formanda venit. Etsi enim nulla suffusionum species periculum vitae habeat, non raro tamen morbi graviores ipsius oculi & vicinarum partium, imprimis cerebri, cum quo insignem prorsus consensum oculos habere, intelligentibus notum, antecedunt, vel superveniunt, quae periculum augent, & cirram difficiliter, vel impossibiliter prorsus reddunt. Suffusio etiam perfecta, confirmata & inveterata, nullum prorsus in pharmacia remedium habet; Neque chirurgia operem ferre potest, ubi humor aqueus, vel crystallinus, vel uterque plane corruptus, nimiris crassus, opacus, nigrescens, viridescens, nihilque plane lucis, etiam si fortissimæ, & proximi admotæ, transmittunt. Item quando pupillæ, ejusdemque processibus, tundique, firmiter adhaeret, ut sine laetione pupillæ ejusdemq; fibra-

rum ciliarium separari nequeat, uti inferius circa operationem observabimus. Sæpe etiam sola ætas nimis tenera, nec non decrepita, curam alias speratam impedit. Aliter autem judicandum, quando malum adhuc infieri est, & tantum per simulacra molecularum, globularum, filamentorum & similiū, se manifestat: Monnendiq; sunt & medici & ægri, ne apparentibus ejusmodi simulacris, animum statim despondeant, & curam abjiciant; siquidem multi ægrorum dantur, qui adhibita in tempore cura decenti, ab hoc malo penitus liberantur, immo quidam per plures annos hujusmodi spectris tentati, vilum tamen, neglectis licet remediis omnibus, satis integrum retinueré, quod Plempius a peritia statim, item Platerus, Hannemanus & alii in se ipsis experti sunt.

Thef. XXII.

Occasione hujus non reticenda quoq; est illorum sententia, qui suffusione adhuc in forma nebulae, vel nubecula apparente, ut eo citius maturitatem, punctioni aptam, assequatur, ejusmodi remedia, tam interna, quam externa in usum trahere suadent, quibus materia morbosa in oculo magis insipissetur, & in membranam, perfectam transmutetur. Quasi vero infida & infidiosa ejusmodi remedia, reliquis adhuc sanis oculorum partibus non simul noxam inferre, & malum, malo augere, aliaque symptomata graviora accersere possent.

Thef. XXIII.

Hisque adeo omnibus observatis, nunc deinde judicare licet, an, & qualia remedia malo huic convenire possint. Etenim si in aliis, certe oculorum mor-

bis maxime cavendum, ne quicquam minus congruum admittatur; ubi saepius quiescendo potius, quam agendo & movendo, ægri curantur. Alias omnino, ubi loeum habet, cura ita dirigenda, ut humorum oculi inquinatio imminens saltem, vel jam incipiens orati modo inhibeat, removendo omnia, quæcumque solam occasionem & suppetias præbere possunt; addendo iuverea, quibus totius oculi temperies, nitor & puritas conservetur, & symptomata alia intervenientia præcaveantur.

Thef. XXIV.

Ideo Diæta, ut ab hac initium faciamus, eo semper dirigenda, ut evitentur omnia, quæcumque ad inquinacionem humorum quocunque modo facere possunt. Arcendus ab oculis non solum aer frigidus, humidus, nebulosus, fuliginibus repletus, crassus, turbulentus, sed etiam nimis fervidus, siccus, impetuosus: quo etiam pertinent lotiones totius capitis, aut solam faciei cum aqua frigida, salibus mineralibus referta, aut etiam nimis calida vel spirituosa; E diverso, quantitate fieri potest purissimus & maxime temperatus committendus.

Thef. XXV.

Sic ratione vetus sobrietas & temperantia ubi vis optima. Quod enim quævis inordinata diæta ad augendam suffusionem maxime faciat, testatur quotidiana experientia, dum hebetiori tantum visu, aut suffusione spuria laborantes, toties a pastu statim augmentant mali sentiunt, quoties sive in qualitate, sive quantitate solum alimentorum error commissus fuerit. Imprimis vero omnia cruda, crassa, viscida, flui-

tulenta, acida, austera, etiam nimis salita, fermentabilia, tam quoad cibum, quam potum serio interdicenda. Profundit vero alimenta tenuiora, boni succi & facilis digestionis; eaq; aromatibus temperatoribus e.g. sem. anisi, sceniculi, coriandri, cumini, corticibus citri, arantiorum, floribus macis & similibus, moderate condita; & loco potus cerevisia tenuis, bene defœcata, mediocriter lupulata, aut, ejus loco aqua, vino minus austero, crasso, sed tenui & tamen spirituoso permista; item decoctum hordei cum passul. liquiritiae, flaved. Citri, sem. anisi, coriandr. &c. parata.

Thef. XXVI.

Pariter in motibus omnibus corporis moderamen tale habendum, ne ulli, ex causis antea enumeratis, vel similibus fores aperiantur. Proderit ergo motus tantum moderatus, & per intervalla repetitus; sed nocet etiam plante intermissus, æque ac violentus, continuus, item tempore, modo & loco milius convenienti institutus. Sola sublevatione ponderum graviorum, nec non coabitione spiritus & inflatione thoracis vehementi, malum non soluti augeri, sed excitari, exempla docent. Idem sentierunt de motibus animi nimis & inordinatis, quibus sape sanguis & reliqui humores magis, quam corporis motibus, turbantur, & sic versus oculos concitantur, quemadmodum unica etiam nocte suffusionem perfectam, per incerorem & laevicrymarum fluxum, concitatam esse, supra vidimus. Hinc monendæ quoque sunt Matres gravidæ, paternis animi magis obnoxiae, ut aspectum ejusmodi ægrorum omni modo evitent, vel, si evitare nequeunt, tamen iisdem non indulgeant, vel inhæreant, quin

qui potius aliis & gravioribus objectis animum sibi tranquillum comparare studeant.

Theſ. XXVII.

Quod vero ſomnum & vigilias attinet, idem ſe-
re regimen, ac motus animi & corporis requirunt.
Somniſ quidem nimius, aut etiam diurnus, in ſubje-
ctis alias phlegmaticis, cacheoticis, visciditatis humo-
rum, indeque oriundas stagnationes, concretiones
magis auget, digeftiones & ſecretiones debitas impe-
dit, e contrario flatus excitat, atque ſic mille modis
malum augere potat; ſed tamen vigilias & lucubra-
tiones, in feram usq; noctem continuatas, magis adhuc
nocere putamus, utpote quaे oculorum ſubſidio ma-
gis utuntur, eosdem propius tangunt, & proinde, au-
gendo, imminuendo humorum affluxum, eo facilius
lædere poſſunt. Quemadmodum etiam illi, qui crebra
ſpeculatione rerum minimarum, nimis lucidarum, &
ſplendidarum oculis ſ. armatis, ſ. nudis, viuis hebetudi-
nem ſibi contraere, id ſuo exemplo toto die confirmant.

Theſ. XXIX.

Nec tandem evacuationes debitæ, & ſuetæ hic ne-
gligendæ. Alvus imprimis officio ſuo quotidie fungat-
tur, neceſſe eſt, aut, ſi praeter naturam deficere vide-
tur, cibis magis humectantibus, laxantibus, & noſtri-
hil ſtimulantibus moveri debet. Id enim commodi æ-
gri exinde habent, ut humorum affluxus ab oculis,
non ſolum coeretur, ſed praecavetur ſimil, ne, uti-
fieri ſolet, conatibus fortioribus, in excernendis fæci-
bus, vafa oculorū in tenerima magis premant, & e-
gressum impuritatum promoveant. Idem in ſecreti-
onibus

onibus urinæ, ſudoris, mensium, hæmorrhoidum ob-
ſervandum, ut ubi opus, illarum ſuppreſſio vel ex-
cessus debitis remedii curentur. Quantum abuſus
veneris & ebrietas noceant, antea ex Panarolo nota-
vimus.

Theſ. XXX.

Quando vero, & quibus remedii, in curando &
præcavendo hoc malo, opus fit, nunc videbitus. Sunt
quidem, qui curam, per remedia pharmaceutica in-
ſtitutam, proſſus irritam, immo magis noxiam eſſe
contendunt, quod tamen in cataracta jam perfecta &
confirmata per ſe, minus ratione intervenientium a-
liorum ſymptomatum, admittendum eſſe, quilibet fa-
cile intelligit: Paulo ante jam monuimus, quantum
commodi ex debita alvi apertione ægri habeant,
quanto vero magis, ubi primæ viæ humoribus impuri-
ris flatulentis ſcatent, corundemque noyo quotidie
proventu cumulantur, ſed nullis aliis melius, quam
laxantibus ſubducuntur, & ab oculis avertuntur. At-
tamen cavendum, ne purgantibus fortioribus maje-
res turbæ in ſanguine & reliquis humoribus exciten-
tur: Sufficienit igitur e Rhabarbaro, Mechoacanua,
Gialapa, foliis ſennæ, Agarico Carthamo, Aloe, Gum.
ammon. galbano, & ſo dulci, & tro. & ſimiliobis
parata, eaque eo crebrius repetita & continuata, ſi in-
ſtitcantia ſuadent, nec alia graviora contra indicant.

Theſ. XXX.

Quibus adeo decenter adhibitis, aliis minus uita-
tis & infidis, facile carere poſſumus, aequa ac vomiti-
toriis violentis, a quibus ſolis hanc affectum ſubito
inductum, triftia exempla probant; eo quod amo-
tibus

tibus ejusmodi convulsivis, in præcordiis digestiones omnes & secretiones insigniter turbentur non solum, sed humores quoque versus caput & oculos magis urgeantur; unde etiam fit, quod inter vomendi conatus oculi sæpe exteriora versus protuberent, rubescant & lachrymas largiter effundant, quales turbas etiam inter tunicas intérieuras simul fieri posse, nemo negabit, & exempla inter causas allata comprobant. Quod si tamen in suffusione spuria natura ipsa ejectionem cruditatum pér vomitum moliatur, eandem, nisi alia contra indicantia obstant, lenioribus stimulantibus adjuvare nihil impedit.

Thef. XXXI.

Habentis vero adhuc alia evacuantia, quando scilicet impuritates serofæ, viscidæ sanguinem & totum corporis habitum occuparunt: Multum omnino opis præstant sudorifera & diuretica, in tempore adhibita, quoniam non solum visciditates seri egregie resolvunt, attenuant, sed etiam per ambitum corporis & vias urinarias eliminant: Rursus tamen in his selectus habendus, nec methodus conveniens, secundum indicantium & contraindicantium normam negligenda. Præ cæteris tutiora & efficaciora putamus infusa & decocta c. Raf. Sassafr., Rad. Chineæ, Sassafrillæ, pimpinellæ, foeniculi, asparagi, liquirit., Sem. anis. foenic. coriandr. &c. quibus pro re nata etiam alia, effectum facilitantia, e. g. Ess. & Θ vol. viper. C. C. Ebrias, Tinct. Fri, tū sat. pimpinell. & similia addi possunt.

Thef. XXXII.

Quibusdam videtur salivationem mercurialem huc facere.

facere posse, quoniam s̄ius, ob texturam particularum suarum globosam valde imobilem & elasticam, præ aliis omnibus efficacius humores viscidos fundit, resolvit & per salivam non solum, sed vias quoque alias eliminat, unde in gutta serena, affectu communiter graviori, & minus curabili, interdum mirandum effectum præstisſe, exempla quædam habentur; uti videre est apud Schenckium L. I. Obs. 2. & Ros. Lentil. Miscell. Med. Pract. p. xi. 607. in viro, cephalalgia enormi, stupiditate, epilepsia & cæcitate simul affecto. Verum quoniam in suffusione perfecta materia morbificans jam extra limites vasorum suorum existit, possibile non videtur, medicamenti hujus, etiamsi generosissimi, effectum eo penetrare, aut si penetret, operem exinde certam sperari posse. Incipiente vero, & adhuc imperfecto malo, alia tutiora suppetunt, ut ad hoc remedii genus confugere, minus necessum videatur.

Thef. XXXIII.

Tutiora vero eo casu sunt apophlegmatantia alia, nimirum errhina, masticatoria & suffumigia, quæ non minus humores abundantes ab oculis avertere, & per nares faucesque efficaciter elicere possunt, si, præmissis præmittendis, debito tempore, ordine & modo adhibentur. Ita quosdam errhini, imprimis mercurialibus e. g. e turpero miner. vel simili paratis, ac quotidie adhibitis, a cæcitate liberatos fuisse, exempla habentur, uti videre est ap. Barthol. c. IV. Epist. 920. Qui proinde quoque pulverem ejusmodi errhinum, sed blandiorem composuit, & mirifice commendavit in Ephemer. Cavendum enim sedulo, ne sternutaciones

nes fortes concitentur, a quibus malum potius oritur
quam curari antea vidimus.

Thef. XXXIV.

Sed prater ista evacuantia, & humores impuros ab oculis avertentia, opus omnino quoque est alterantibus, tam internis quam externis, quibus non solum sanguinis universi, & in specie humorum oculi puritas, sed etiam vasculorum integritas restituatur ac conservetur: qualia quidem nimis multa a Practicis commendantur, ut difficile prorsus sit, cuivis aegro convenientia eligere; indeque fieri solet, quod multi, hoc affectu laborantes, in copia medicamentorum ejusmodi empyricorum, plus damni, quam levioris experiantur: Sufficiet igitur, tantum potiora hic attulisse, inter quae praecipua sunt, quae sale suo volatili, cum partibus balsamicis optime temperato, non solum humores viscidos resolvunt, attenuant, sed etiam tenum viscerum omnium egregie rorobant. Quo nomine rufus praeceteris valebunt. Infusa & Decocta, antea commendata, nec non Spirit. & ⊖ vol. C.C. viperarum, ✕ ci. f. & anis. c. Fri. sal. vol. & five Sylv. Bals. vitæ D.P. Eff. Myrrh. Succini. Helen. Castor. Valerian. Lignor. Lign. aloes, Croci: Pulveres e Succino, Castor. Cinnabari, Asellis, spec. diambr. Diamosch. Diaxyloal. Tragææ & Ectuar. e Rad. valer. helen. Lign. aloes, succin. Mast. Macis, sem. anis. scenical. coriandr. fileris montan. Badiani: Elæofacch. ex & anis. Sassafr., Bals. Peruv. & similibus: Rob. Boyl. Phys. Exper. p. m. 154. tria exempla eorum refert, qui solo usu millepedum quotidiano a Cataraecta perfecta fuerunt liberati, a dosi minori ad majorem ascendendo; procul dubio ob vim resolu-

resoluentem, qua infecta ista possint. Atque talia, si compositione, debita quantitate et modo adhibentur, habito semper respectu ad ægri præsentis naturam et temperaturam, nullis præterea opus erit empyricis specificis, quæ plus saepè promittunt, quam præstare possunt: Confer. O. Grembs. Arb. Ruinol. & Integr. p. 189. ubi cura integra Suffusionis insigis, in Principe quodam, solis medicamentis a Minderero feliciter administrata, & duo millibus florenorum remunerata habetur.

Thef. XXXV.

Atque idem selectus etiam in applicandis topiis habendus erit. In suffusione quidem perfecta & confirmata, ea præclusa in media & supervacanea, immo saepè noxia putantur: Nella enim habentur, quæ extrinsecus applicata, sine lesione tunicarum ad interiora oculi adeo penetrare, & pelliculam jam factam, resolvere, aut humoris crystallini opacitatem corrigerre possent: Quamdiu vero malum sadiuc in fieri & augmento solum est, omnino talia habentur, quæ vel moderate adstringendo & discutiendo, aut magis refolvendo, vel exsiccando, abstergendo, & sic porro, operi præstare possunt. Vnde laudem mereantur Collyria ex Euphragia, Chelidonio, Anagallid. a R. Verio valde commendata, Valeriana, Galbo, Saccorro, melle, Camphor. Croco metall. Vitro & aloe, myrrh. & similibus parata; nec non fomentationis ex Rad. Gentian. Valer. Irid. flor. caryophyllat. Summit. Ruth. Hyssop. Anagallid. fl. phænic. Verbena, Chelidon. Galliric. flor. Chamæm. anth. rofar. facta; item, Linimenta e Fellibus animalium, imprimis pisces, viperarum, capræ, leporis &c. digestis, & cum Saccha-

Saccharo permisit. Sola pinguedo viperarum Italicarum in Eph. Germ. a Cel. Wedelio instar oronium commendatur. Ita multis præservationis gratia solam aquam frigidam, vinum acidiusculum, vel cum rad. Ires digestum, immo ipsum acetum still. super pulv. Gentian. digestum, & oculo caute instillatum profusse novimus; procul dubio ob vim leviter adstringenter, & affluxum humorum impedientem; Aliis tamen e contrario spirituosa magis prosunt; ipse Spir. V. camphor. cum linteis leviter imbutis fronti & temporibus applicatus: Unde Cardilucius in Not. ad Hartm. c. 34. spiritum Vini, linteis imbutis dietim bis terve, per integrum mensem, oculo impositum, suffusionem infallibiliter curare prohibet; Cui etiam assentitur Timaeus L. I. Epist. 26. Olaus vero Borrichius duo insignia euporista in suffusione, non incipiente solum, sed ancta, saepius probata observavit; Alterum nempe ex linteo, in tabula ferrea combusto, relictum; alterum aquam roscarum cum tritura Zingiberis saturatam, nisi refert Bonett. in Med. Sept. P. II. p. 423.

Thes. XXXVI.

Sed restant adhuc remedia Chirurgica, e quibus non minus ac pharmaceuticis ægri tales opem insignem expectare possunt: Præ cæteris Venæsectio multum auxili fert, quando sanguinis copia, æstus & turgescencia, aut etiam evacuatio suppressa, in culpa fuerit; Eaque modo in brachiis, modo temponibus, vel sub lingua instituta, & pro necessitate repetita, in tanta quantitate, quam morbi caufa requirit, & cuiuslibet ægri temperamentum, ætas, aliaque circumstantiae admittere videntur. Vel ubi talis forte non

nón admittitur, etiam scarificationes repetitæ, ijsdem indicationibus satisfacere possunt.

Thes. XXXVII.

Ita ubi serum vitiosum, salsum, acre largiter versus oculos decumbere observatur, nec aliis remediosis evauantibus, etiamsi saepius repetitis, averti potest; ibi sane præsentaneam operem præstant vesicatoria, in nucha, & juxta aures applicata; quæ ut eo efficacius operentur, per plures, si opus, septimanas continuari, & novo subinde stimulo augeri, aut etiam repeti debent; quibus rite administratis, nihil opus erit se-taceis nimis dolorosis, quæ quidem a Veteribus non solum in hoc, sed multis aliis oculorum affectibus mirum quantum deprædicantur, & exemplis plurimis confirmantur, ut videre licet apud Paræum l. 9. Chir. c. 24. Fabr. Hildan. Ep. Med. 59. & Ephem. Germ. D. II Ann. I. Fonticuli vero, quoniam multo segnius operantur, non tam curationis, quam præservationis gratia, hic commendari merentur.

Thes. XXXVIII.

Tandem, ubi humor aqueus jam pelliculam, aut crystallinus opacitatem tantam contraxit, ut visionem omnem intercipiant, unica spes in chirurgica membranulae istius remotione, aut lentis crystallinæ depressione reliqua est. Hæc autem, ut cum fructu & emolumento ægrorum administretur, non solum Operatorē in anatomie, imprimis oculorum, peritissimum, & in operatione ista jam exercitatum, prudentem, & cautum requirit, sed etiam sequentes potissimum cautelæ observari debent, ut (1) suffusio vera ab aliis oculorum; ipsiusque crystallini & vitrei humoris yitiis, quorum sane plura us contingunt, accurate

rare discernatur, eaque (1) an satis perfecta, matura & ad depressionem apta sit, prudenter judicetur. (2) an non perfecta suffusio, uti saepissime fit, cum aliis humorum vitiis conjuncta sit; (3) An etiam malum cum pupilla ejusdemque fibris, & quomodo inhæret. Ubi enim membrana, vel ipse humor crystallinus papillæ undiquaque & arctius connectitur, separatio certe absque lesione & laceratione ipsius vix accedit. Vix fieri, neque salutaris eventus sperari potest. Pariter (4) probe considerandum, an etiam ætas ægri operationem istam sustinere queat: Siquidem pueri, in quibus humores oculorum alias nondum satis puri & perspicui, variis adhuc mutationibus obnoxii sunt, præterea regimen, in operatione ista, & post eam maxime necessarium, observare non possunt; in valde senibus vero humores isti jam a sua vivacitate & pelluciditate remittunt, ut adeo in utrisque salutaris effectus certosponderi non possit. Tandem (5) peracta operatione, adhuc opus est, ut symptomata & pathemata noxia, fletus, tuusses, sternutationes, palpebrarum frequentes apertiones, inflammations, aliaque omnibus modis præcaveantur. Sed de his, ipsoque operandi modo, & instrumentis plura legi morentur ap. Celsum Chir. L. 7. c. 7. Scultet. Armamenta Chirurg. fol. 23. & obs. p. 39. Fabric. Hildan. L. IV. obs. 16. Aquapond. p. 2. c. 18. seq. Ræsum L. 16. c. 19. Verducc. Chir. c. 24. Barbetti. Chir. c. 16. Ex recentioribus Brissacum & Heisterum l. e. nec non Purmann. Chir. curios. c. 22. ubi militis, ex suffusione utriusque oculi perfecta planecæci, meminit, in quo, uti perhibet, membranam albam, uvetæ licet firmiter coherentem, tamen acufua, non rotunda, sed lanceolata separavit, et acui circumvolutam, inter uvetæ marginem deposituit, ut ab eo tempore æger omnia accurate videre posuerit, visumque talem per plures annos integro conservaret. Tantum.

SOLI DEO GLORIA.